

Hic canon est generalis, & complectitur multos speciales ab Aristotele traditos *lib. 3. topicorum.*

Canon de conjugatis.

Probatio di-
ctica è loco

Si unum conjugatorum verorum de uno conjugato affirmatur vel negatur, etiam alterum de altero.

Conjugatorum enim sunt conjugata consequentia, & I. Conjugatorum duorum conjugatorum contrariorum conjugata sunt contraria. v.g. si albedo est color; ergò album est coloratum. Si cæcitas & visus sunt privativè opposita, etiam cæcus & videns. Si fortis est probus; fortitudo est probitas. Si opulentus non est felix; opulentia non est felicitas.

Canones de notatione.

1 *De quo notatio vera & propria affirmatur, de eo etiam notatum affirmatur vel negatur, & vice versâ.* 2. Notationis.

V.g. Est magni animi. E. est magnanimus. Est locuples. E. locis abundat. Non est locuples. E. locis non abundat. Hinc vulgò dici solet: *A notatione, qua notato est adequata, valere consequentiam affirmativè & negativè.*

2 *De quo notatio vera & communis negatur, de eo etiam ipsum notatum negatur: sed non contrà, de quo affirmatur, de eo etiam notatum affirmatur.*

V.g. Non est mentis testatio. E. non est testamentum. Hæc argumentatio valet. At non valet ista: Est mentis testatio. E. testamentum. Hoc est quod l. 2. cap. 25. monuimus: *A notatione, qua latior est notato, valet consequentia tantum negativè.*

3 *Quod de notatione propriè affirmatur vel negatur, id etiam de notato affirmatur vel negatur; & vice versâ:*

Ut, Philosophia est expetenda; quia studium philosophiæ est expetendum. Theologia est discenda; quia est doctrina de Deo. Quòd verò quidam existimant, inter vocem & rem, nullum esse necessitatis nexum, falsum esse vel ex eo apparet; quòd nomina divinitùs imposita suppeditent firmum medium probandi: ut, Christus est Jesus. E. servabit populum suum à peccatis.